Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mens hominis quadam dubitate confunditur: modo ad amo
rem conditoris suspirat. modo amor seculi suspirantem retardat. modo
constanter et intrepide bona agere inchoat. modo formidat.
ne bene inchoata consummare ualeat. DICENS
intra semetipsum. Hec et illa uirtutum opera aggredere. et pro deo la
borando bonis operibus fortiter insiste. rursumque fragilitatem carnis
deuictus recogitat. noli inquiens temetipsum decipere. incho
ando hoc quod non potes perficere. Sensus autem hominis exterio
res eidem dubietatis perniciosi ualde sunt cooperatores. qui
ab agnitione diuina interiorem frequentissime impediunt.
Unde recte dictum est. quia non erat cum eis id est cum exterioribus
quando uenit ihesus. Congratulantes ergo dixerunt
ei alii discipuli. Per discipulos interiores hominis sensus accipere
possumus. quos beatus homo instabilium cogitationum obstaculis
prepeditos. alios efficere satagit. quatenus intra semetipsum collecti.
et sacris meditationibus dediti. ad celeste desidium innouentur.
Prelibata tandem superne uisitationis dulcedine. quid sensus homi
nis dicant audiamus. Uidimus dominum. Hec uerba loquitur inuisibi
lis lingua conpunctionis et interne congratulationis. qua tunc sensus
hominis replentur. cum intimi gaudii suauitatem degustare me
rentur. Sed quia huic qui ad perfectionem tendit. semel pregustata diui
ne dilectionis suauitas non sufficit. recte subditur. Respondit tho
mas. Nisi uidero in manibus eius figuram clauorum. Per clauos intel
ligi possunt precepta dominica. salemone attestante qui ait. Uerba
sapientium sicut stimuli. et quasi claui in altum defixi. Si ergo cla
uis comparantur uerba sapientium. eo quod penetrant atque com
pungant corda audientium. quanto magis illius uerba. qui ipsa est
sapientia. Porro clauorum figura. ipsa est preceptorum intelligentia.
Manus dominice. in quibus uidentur he clauorum figure. operationes sunt
diuine. Desiderat ergo quilibet beatus. ut in manibus christi figuram